

Q.K.
513.
16.

H.A.H. 405.
F. 75, 14.

X 2316508

IIa
571

DE
ERVDITIONE CONSVETVDINI
SERVIENTE
COMMENTATIO

QVA
ORATIONEM VALEDICTORIAM
ADOLESCENTIS
HUMANISSIMI ATQVE POLITISSIMI
GOTTFRIEDI MICHAELIS
PFVNDELII
IENENSIS
V. KAL. APRILES
PVBLICE HABENDAM
RITE INDICIT
M. DANIEL PEVCERVUS
LVSATVS
ATHENAEI RECTOR

NVMBVRGI
LITTERIS BOSSOEGELIANIS





I.

Quod plerumque de sole lumen caelestium longe principe dicere confueimus, eum numquam fere non eumdem suique esse similem, idem hoc de eruditione adfirmari iure posse uidetur; quum praesertim non minus immobilis eiusdem natura, quam documenta historiae litterariae omni exceptione maiora fidem dicentis suffulciant. Etenim doctrinam nec certis temporis alicuius finibus contineri, neque unius aetatis terminis describi, neque una tantum orbis terrae regione definiri uideas: sed potius ubicunque, & apud quemcumque reperitur, semper euidens est et solida utilium pariter atque necessariarum scientia ueritatum. Certe non posset non exemplo definere esse, quod reuera est, humanae scilicet subfidium felicitatis & necessarium culturae ingeniorum instrumentum, si quidem, per quamdam transformationem, ouidianis similem, posset penitus euerti, aut saltim obscura atque elumbis rerum uariarum euadere notitia.

II.

Verum tamen, si externas quasdam illius rationes curatius atque incorrupta mente ponderes: eiusdem illius faciem cum femina uestitus ornatu consuetudini in dies paene mutabili inseruiente haud inepte possis comparare. Namque ipsa quidem muliebris uultus forma, membrorum agilium aptitudo, cutis qualitas naturalis, uenusta corporis statura uarietati indulgent certe mini-
me:

me: at taeniarum cultus uarius, uestium modo oblongarum, modo breuiorum, modo amplarum, modo artarum inconstans forma & multiplex usus, linteorum atque limborum multi saepe pretii uicisitudo admiranda, tanta est, ut dici uix possit. Quod igitur **QVINCTILIANVS I. o. lib. I. c. 7. p. 86.** de orthographia latinae linguae, quum adhuc in eadem uita inesset, pronuntiauit, eam *consuetudini seruire, ideoque saepe mutatam esse,* hoc etiam quodam modo ad eruditionem pertinere crediderim.

III.

Originem autem non debet isthaec commutatio genio cuidam, nescio cui, animos hominum in certa studia inflectenti, quem Barclaii effinxit ingenium, qui uero a clar. **FREYTAGIO** scholae prouincialis Portensis rectore dignissimo, fauore nostro singulari, in programmate **DE GENIO SAECVLIS** recte refutatus est: sed potius, quod doctissimus **THORSCHMIDIVS** in disputatione Vitembergae **CIO 15CC XVIII.** de studiorum ratione ad genium saeculi composta habita existimat, mirae uoluntatum, studiorum atque sententiarum, quae uiris doctrina praestantibus sunt hoc et illo tempore, confessioni. Genius enim saeculi, ex eius mente, est quoddam harmoniae genus, ex certa, et ad tempus durante, rerum, sive agendarum, sive cognoscendarum, compage ac relatione ortum, homines eodem tempore, eademque in regione uiuenter, peculiaribus conuenientibusque animi inclinationibus instruens. Quum autem uener. ille apud Annaeburgenses rerum sacrarum antistes pleraque, quae hoc loco erant exponenda, cum laude persecutus sit: non tamen neque causas, quibus impelli atque trahi quisquam possit, ut externam eruditionis formam ingenio saeculi, seu sensu non magis me-

liorum, quam saniorum in republica litteraria hominum accommodaret, neque indolem atque modum satis tetigisse nobis uidetur. Dabimus ergo operam, ut, quid hac in re posit exponi, quam fieri potest clarissime & breuis-
sime, in medium adferamus.

III.

Principes nostrae aetatis philosophorum, quum de regulis tradunt iis, quibus in omnes partes usus uitiae solet confirmari, rectissime praecipiunt, ut ea obseruentur omnia, quibus fauorem aliorum, salua religione, consequaris atque adprobationem, quibusque non minus facilius, quam felicius aliis profis atque aliorum tibi beneuolentiam adiungas. Auctores etiam iidem sunt, ut ne quod litterarii discidii genus pariamus, inque alia simus haeresi, quum aut loquimur aliquid, aut scribimus, quam reliqui omnes, quibuscum in eadem re publica litteraria uiuimus: nisi quis forte de industria in se inuehi, aut sibi ab aliis illudi uoluerit. Etenim consueta forma uestium qui uti non uult, neque tamen non in celebritate uersari, ille graculum quemdam refert Phaedrinum a formoso pauonum grege rostris fugatum & pessime mulcatum, famaeque damnum patitur plane singulare.

V.

Ad haec mutationem pristinae consuetudinis in re litteraria solemnis, si qua forte usu uenit, fieri uidemus in melius, atque ideo hanc albo dignissimam calculo iudicamus, non profecto in deterius, uti scholasticorum tempore, quo sole clariora obscurabantur, expedita ac plana intricabantur; quo, qui suis pedibus uti poterant, grallis qua-

si

si incedebant, qui pure atque ad ingenium linguae latinae scribere debabant, impuritatibus delectabantur, iisdemque omnia deturpabant. Qua ex re qui declinare noctura, commodum uero suum, pro uiribus, prouehere; qui nihil insoliti p[ro]fe se ferre, sed introduc[t]um inter eruditos meditandi atque proponendi modum sequi; qui doctrinae adiumentum adferre, non autem eidem detrimentum ullum inferre mauult, in literarum studiis atque scriptis ad arbitrium plurimorum doctorum semet fingere atque accommodare, non solum cum excusatione, uerum etiam adeo summo quodam iure poterit.

VI.

Quibus trahatur eruditionis cultor causis, ut plerorumque, sapientiorum tamen doctorum consuetudini seruiat, intelleximus: proximum est, ut, in quibus rebus accommodatio eruditionis contineatur, paucis explicemus. Atque hic quidem, si generatim rem ponderauerimus, ante omnia ob oculos nostros se ponit ratio sententiam suam cum aliis communicandi, ut aiunt, *demonstrativa* atque *mathematica*. Circumspicienti tibi occurru[n]t sexcenta eruditorum nostri temporis scripta, quae legitima usi demonstratione, id egerunt, ut, quae prope modum antiquata & sepulta esse uidebatur, methodus antiqua & satis probata, per *methodum mathematicam* quasi refocillata & nouo spiritu instructa, uita frui uideretur. Neque tamen ea est methodus mathematica, si paragraphus ad superiores prouocauerit paragraphos, nulla rei connexione existente; sed, quae ex principiis, definitionibus, ceteris generis eiusdem rite deducitur, euidentissime rem exponit atque copulat.

X 3

VII.

VII.

Adiungo huic loco *adlegatorum abstinentiam*, ueteribus omnibus, in primis philosophis usitatam, nostra aetate ex crebriori usu demonstrationis coortam. Quod si enim quisquam est, qui in rerum naturam inquirere didicit, remque ex suo potius ingenio aestimare, quam aliorum sententiis illustrare constituit: ille profecto ab aliorum consensu atque testimonio, nullo negotio abstinebit: quid enim quaeso opus est testimoniis, ubi ueritas suo se fulgorre aliis de meliori nota commendat. Nescio igitur, quid in mentem uenerit nonnullis hominibus doctis, qui, nisi complura *uid.* & *conf.* in re uilissima atque manifestissima, adspicu senserint: arbitrantur scripti cuiusdam auctorem historiae litterariae aut librorum cognitione ornatum esse prorsus nulla. Sed hi erunt fere, qui per se inuestigandae ueritati ineptiores, ambitione ducti uanissima statuunt, nihil dignum lectione in medium posse proferri, quod non idem, centonis instar, compluribus rhapsodiis aliorum consutum protrudatur, arbitrantes, libros non *parabiles*, *sibique rariores* aliis futuros etiam esse multo rarissimos pariter atque suauissimos.

VIII.

Neque etiam aliquis mihi uitio uertere poterit, si dixerо, stilum latinae pariter atque germanicae linguae cultiorem esse *eruditionis* ingenio laeculi conformatae non postremum documentum. Noli itaque mirari, quid fuerit, quod *Mublius*, *Buddeus*, *Wernsdorffus*, *Loescherus*, *Langius*, *Mosbechius*, *Walchius*, *Rambachius* alii, ex peregrinis *Petauius*, *Huetius*, *Folietta*, *Facciolatus*, ex iureconsultis *Sieuogtius*, *Bergerus*, *L. A. Hambergerus*, *Heineccius* reliqui, tantam nominis famam scriptis

ptis sint consecuti suis: namque in promptu causa est, castissimae etiam, si ab aliis discressero, dicendi rationi operam dederunt. Quo magis itaque eleganti dictione doctrinae instituta proponuntur, eo magis se se commendant atque consuetudini licitae accommodare uidentur: qui enim impuro dicendi generi latitudinem quamdam *theologicam, iuridicam* cet. praetendit, ille, repertis frugibus, glandibus uesci uidetur, ac re uera iejunam nulliusque plane momenti profert excusationem.

VIII.

Speciatim autem *historiae*, in primis *litterariae* usus, tamquam condimentum quoddam cibis iniectum, gustum efficere solet communem: nihil enim fere quidquam uideas nostris temporibus foras dari, quod ex isto promptuario desumtum non fuerit. Consideres quaeso, quanam potissimum re exornatae prodeant in uulgus ueritates, aut ex disciplina sanctiori, aut ex prudentia iuris, aut ex philosophiae spatiis deproptae: uidebis historiam litterariam singula ex uoto, tamquam uita donare. Qua instructi si etiam patriae fines transgredirentur doctorum libri, nescio quam uehementer se commendent, quamque certe aliorum fauorem atque gratiam consequantur. Videor etiam mihi uere contendere posse, *linguarum exterarum* studium, componere quodam modo eruditionis habitum ad conditionem, in quae incidimus, temporum, eiusque esse generis, quod nonnullis necessarium, plerisque, si ad magna adspirare uoluerint, perutile esse credendum est.

X.

Agmen claudat in praesentia singularis *edendorum* cura *librorum*, quae attingit peregrinos atque domesticos, neque solum euidentem atque solidam requirit rerum expositionem;

8 DE ERVDIT. CONSVENTDINI SERVIENTE

nem; uerum etiam historiae cuiuslibet doctrinae delineationem, dicendorum summae praepositionem, inscriptionum atque partitionum non minus maiorum, quam minorum usum, typorum maxime maiuscularum elegantiam, indicum uarii generis perfectionem, chartaeque nitidae commoditatem postulare prope suo iure uidetur. His enim praediti libri quam proxime accedunt ad publicum saporem, omnes quidem delectantem; non autem ab singulis excitatum.

Nullus ego dubito, quin adolescens humanissimus

GOTTFR. MICH. PFVNDELIVS, Ienensis,

quam per integros tres annos, nobis ducibus, et priuatim, et publice consecutus est, rerum diuinarum et humanarum scientiam, etiam in posterum consuetudini doctiorum probatae sit applicaturus. Namque ea ipsi ab natura tributa sunt ingenii bona, eosque ut in linguis, ita in artibus atque disciplinis fecit progressus, ut omnino in eius rei spem uocemur. Quare hominem ex amplissima indulgentissimi avi domo olim acceptum, in aedibus nostris ad optimam quaeque institutum, honoratissimis nostrique per studiosis eius PARENTIBVS piis precibus tradimus, nec, nisi omen episcopi illius apud AVGUSTINVM lib. IIII, conf. cap. XII. exeunte MONICAM solantis, adiungimus: fieri non potest, ut filius tot lacrimarum, addo tot precum totque adhortationum pereat.

Neque tamen discedet prius, quam orat. lat. DE FERVORE, TEPORE AC FRIGORE, quem saepe numero in studiosis litterarum academicis observes, occasione triti illius sermone prouerbii, se quasi ipse ad quaevis bona adpetenda excitans atque inflammans, habuerit, pietatemque inde, PATRONOS atque MAGISTROS suos, pro eo par est, testatus fuerit.

Hanc quoque in sententiam auditor noster industrius ac permodesatus

GEO. GOTTLIEB. ECKENBERGERVS, Carsdorff. Thur.

illud SENECAE: eas, non quo itur; sed, quo eundum est, abeundi commendabit, orat. lat. numeris adstricta, suo simul et commilitonum suorum nomine pia pro eiusdem salute uota nuncupaturus.


Conueniatis itaque frequentes, PATRONI litterarum ac FAVTORES omnium ordinum honoratissimi, CRAS ante horam VIII. matut. ac VESTRA praesentia atque attentione amoris in musas earumque cultores specimen deris collaudandum.

P. P. NVMBVRGI VI ante KAL. APRILES

FID 1000 XXXVI

B.I.G.

Black



Q.K.
513.
16.

H.M. II. 402.
F. 75. 14.

X 2316508

II^a
571

DE
ERVDITIONE CONSVETVDINI
SERVIENTE
COMMENTATIO

QVA
ORATIONEM VALEDICTORIAM
ADOLESCENTIS
HUMANISSIMI ATQVE POLITISSIMI

GOTTFRIEDI MICHAELIS
PFVNDELII
IENENSIS

V. KAL. APRILES
PVBLINE HABENDAM
RITE INDICIT

M. DANIEL PEVCERVS
LVSATVS
ATHENAEI RECTOR

N V M B V R G I
LITTERIS BOSSOEGELIANIS

